

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCVIII

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80

ubique extra Italiam Libell. 6,25

(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis", possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque sive Vox Urbis kalendarium, sive tabulam m. 0,25 × 0,45 Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCXLVI peractam, ad libitum sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos premiumque eorum subnotationis miserit, subnotatione sibi gratuita omnino fruetur.

Qui socios novos comparaverit tres — bibliopolis exceptis — magnificam tabulam dono accipiet m. 0,63 × 0,85 in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, officina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem — bibliopolis pariter exceptis — dimidiatum premium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem itinere gratis omnino gaudebit.

Ann. XI. ROMAE, Kal. Novembribus MDCCCCVIII Num. XI.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 4,80

ubique extra Italiam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud
Gebethner et Wolf
Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères
Montreal
1600, Rue Notre-Dame.

Paris
Rue Danton.

London W.
28, Orchard Street.

"Kronika Rodzinna"
Krakowskie Przedmiescie, 6.

MAGNI MOMENTI MONITUM



Pontifica officina Candelarum ad Sacra
vapore acta

CONSTANTINI PISONI

ROMAE in ITALIA

Corsa Vittorio Emanuele, 127-129 — Via Sediari, 1-2-3
innumerorum eorumque illustrum clientum suorum animadversionem
epetit in *faculas ad noctem* atque ad collu-
strandum, quas iure proprietatis sibi protexit.

In his

LUX — Salubritas — Parsimonia
Mundities — Diturnitas — Commodum.

Sunt enim forma singulari; a ceteris huiusmodi omnino dif-
ferunt tum ex Italicas tum ex exteris officinis; perfecte com-
buruntur; tempus maximum durant.

*Qui semel expertus fuerit, eas procul dubio
in posterum semper adhibebit, nunquam relinquet.*

Vitrei caliculi consulto ad usum apparati venumdantur.

Candelae ex cera ad sacra - Candelae exquisitis ornamentis decorae.

Officina condita est anno M DCCC III



Divisorium Magnum, cui a Minerva nomen

(Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE - Piazza della Minerva - ROMAE

Divisorium inter optima Romae, in Urbis centro,
recens omnino instauratum - Tercenta cubicula et
magnae aulae - Calefactio - Balnea - Electrica lux
ubique - Machinae duo ad ascendendum - Hiemale
viridarium - Ludi trudiculares - Aulae mulieribus
reservatae.

Sacellum pro sacerdotibus ad sacra litanda.

Leopoldus Scotti, moderator.

Gulielmus Gaudenzi

Romae, Tor Sanguigna, 2-3; Via Coronari, 1

cuicunque suppeditat coronas, numismata, Christi cru-
cifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum
omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad
sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros,
omniaque in Puerularum Mariae usum; pulcrarum ar-
tium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et
similia; quorum maximum apparatus possident.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Prospectum subnotationis *Vox Urbis* Commentarii
in an. MDCCCCVIII
videas in quarta operculi pagina.

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Novembribus MDCCCCVIII.

Num. XI.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Orientalis Europae quaestio repente iterum excitata.
Ad latinitatem tuendam.
Num Christiana religio, nisi divina esset, usque ad Constanti-
num Magnum tantopere percrebruisse.
Vox Urbis palaestra. — Roma Aeneidis scopus.
Horae subseciae. — In hypocrites declamatio.
De romana basilica S. Laurentii extra muros.
Paroemiae sive adagia: Sus Minervam. — Suo iumento sibi malum
accersere. — Irritare crabrones. — Leonem stimulare.
Diarium Vaticanicum. — Coram SSmo admissiones. — Pontificiae electio-
nes. — Vita functi viri clariores.

Annales. — Balkanica res. — Ex Mauritania. — Novae in infima Africa
civitates foederatae.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Librorum recensio.
Varia.
Aenigmata.
*In tertia operculi pagina: TARCISIUS - Actio dramatica I. B. FRANCESIA
versibus senariis conscripta.*

ORIENTALIS EUROPAE QUAESTIO REPENTE ITERUM EXCITATA

Sollicitudinum ac dubiorum plenos Europae nos
multos iam dies transegimus ob renatam de impro-
viso ac vehementer gravissimam eamdemque com-
plicatam quaestionem a saeculis Europam minitan-
tem et civilium rerum praepositis quasi somniorum
incubonem imminentem, de Orientalis Europae firma
ac perenni constitutione.

Novis enim libertatis legibus apud Turcas edictis,
novum quidem in Oriente rerum ordinem iri consti-
tutum omnium sententia erat, at simul spes, fore ut
in pacis tranquillitate is componeretur; contra, inter
Bulgarii atque Turcas frequentiores simultates brevi
indicarunt, unde esset timendum ne frustratio inter-
cederet. Adde in Bosniaca et Chulmiensi provinciis
Serborum perturbationes, anxiis invicem reddentes
animos, ne earumdem provinciarum Austrorum iuris
dictio, ob Berolinense foedus incerta, rerum pre-
sentem statum illic etiam in periculum adduceret.

Hisce de causis maximi momenti recentes even-
tus repetendi: et libertatis sub Caesare suo decla-
ratio a Bulgaris facta, et Bosniaca Chulmiensisque
provincia ab Austrorum Hungarorumque imperio se-
cum coniunctae.

Sunt equidem haec rerum per triginta annos
identidem perductarum facilis consequitio, unde Eu-
ropae gentes nullam certe in partem motae essent,
si alio tempore aliisque adiunctis accidissent.

Quamquam enim dubitabat nemo quin Bulgaro-
rum principatus re ipsa ad suum arbitrium viveret

et tandem aliquando iuridica eius libertas recon-
gnoscenda, pariterque haud dubium erat quin memo-
ratarum provinciarum Austriaca occupatio perpetua
foret eaque ad accessionem adductura, neque inde
aequabilis quam nuncupant Europaea compensatio
lapsura; res tamen, ut sese habuit, Berolinensi fo-
deri, quo Europa adstringitur, apertam vim attulit;
foederi, inquam, illi, quod, iure gentium, conventus
alter tantum omnium Europae nationum immutare
poterat; nunc autem in omnium votis est ut quo
cuius congregetur, atque, formula licet aliqua ad
actarum rerum sanctionem inventa, ea sollemitter
constitutat, quibus superiora nunquam in posterum
invocari ab ulla natione possint.



Cuius conventus Turcae — qui, ut vera recogno-
scamus, in tanta decoris sui iactura mirum in modum
atque cum dignitate sese egerunt — incoepit suscep-
tere; quod si manifeste gratus is Europae guberniis
apparuit, difficultatibus tamen omnis generis in dies
obnoxius occurrit, quibus non difficiles explicatus
quis afferet, si praecursoriarum pactionum necessi-
tatem consideraverit, unde fiat ut conventus ad pa-
cificam Orientalis quaestions solutionem compositus
novas easque graviores dissensiones non suscitet.

Quibus si accesserit Serborum — ut Cretensium,
qui suam iterum cum Graecis coniunctionem edixe-
runt — aliorumque Balkanicorum populorum aliqua
imprudentia, proculdubio in discrimine, eodemque non
levi, Europae omnes versari iure praedicabimur.

POPULICOLA.

Ad latinitatem tuendam

Quum superioribus diebus, in eorum conventu qui nostris scholis praesunt, suffragiis longe plurimis bellum latino sermoni indictum sit ac decretum consensumque hanc sane pulchram et perutilem disciplinam a prima puerorum institutione esse amovendam, non abs re mihi videtur, ex hoc de bonis litteris et artibus commentario, qui illud habet propositum, latinitatem vehementer tueri ac diffundere, contra huicmodi iniquitatem, vel potius insaniam, vocem mittere, ne id facinus, populo quidem elegantioris cultus indignum, committatur.

Voce autem mea, quae, ut spero, sensui ac voluntati eorum qui litteras profitentur, magnam partem respondet, apertum et manifestum est animi desiderium, in quidquid velit memoriam vel litterarum monumenta offendere acriter exsurgentis falsarumque rerum novarum studiosos generose corripiens.

Nolo hic afferre causas quibus nostrum sit quae a maioribus acceperimus persequi; vix dicendum existimo quantum unusquisque nostrum, properea quod prae exteris civitatibus sibi ipse glorietur ab illa romana gente originem ducere, debeat nisi ne latinus sermo, priscae virtutis ac fortitudinis, prudentiae sapientiaeque significatio et index, in quo tot capita legum scripta condicionesque tot populis viciis datae sunt, a degeneribus et parum sollicitis nepotibus in exsilium eiiciatur.

Si haec breviter perstringo, nulla alia causa rationeque impellor, nisi ut aperte ac sincere de eorum conquerar temeritate qui, quum scholae, quae « media » vocatur, administrandae intersint, tamen eo dementiae progressi sunt ut, ipsa sub umbra Capitolii, per opportunum censuerint studiorumque ad incrementum quam maxime idoneum, primam puerorum institutionem latinae linguae legibus grammaticorum privare! Quod qui audit, non est quin ipse honeste de patriae caritatis sensus interitu doleat deque priscis nominis italicis splendoris obscuratione!



Cogitanti mihi, abhinc paucos dies et ante scilicet quam tota Italia incendium exardesceret absurdarogatione conventus, de quo supra mentio facta est, a typis vero afflatum et altum, quibus de causis qui loco consecrato et religioso considerunt, in animorum civilium artibusque politorum obiurgationes voluerint incurrere, ii visi sunt longe a recta via aberrasse suamque sententiam festinantis tulisse, quippe qui in suo vivendi genere cursusque – licet ita concire – aut latini sermonis momentum neglexerint, aut unquam illorum verborum bene sonantium dul-

cedinem, concinnitatem flexusque degustare et mirari nequierint.

Universa paene litterarum negligentia ac proceloso turbine sensus animi motusque, qui nostram aetatem pervadit et convolvit; his quidem temporibus quibus, ut ita dicam, certationis febris agitat omnes, in medias res veras arripiens, pueris sensim consuetudinem afferre, latinis litteris sobria exercitatione, prout res postulat, vacandi, idem est ac vires animi reficere et fontem, qui iam in eo est ut arescat, summae perfectionis formae augere, sine qua vita languet et misere consumitur. Ridiculum est igitur, eos cuia vel maxime debeat interesse puerorum mentes corroborare confirmareque, omni autem ope contendentes ut discipuli, quum sermonem dicant et scriptores veteres ac praecipios gradatim legant, illius aevi admiratione capiantur, extra quod nulla vera magnitudo potest inveniri, minime hanc aetatis nostrae necessitatem perspexisse nihilque impedisce quominus leges consensus concentusque, inepta ratione institutionis dividenda nimiaque rerum commutandarum cupiditate, tristi spectaculo perturbarentur. Quod si ita est, quid mirum si iuvenes, et illi quidem qui nondum admissi et recepti in sacra latinitatis sunt, cum fastidio loquantur de hac lingua, tamquam de re vana et intempestiva, iam dudum in oblivionem adducta, vix tantum illis paucis deceptis ingenis commoda, quae inter membranas bibliothecaeque codices tinea corrosos, ab hominum commercio abhorrentia, umbratilem degunt vitam librisque helluantur, nescia, qua sunt simplicitate, fremitus circum pererrantis rerumque speciem assida vice mutantis?

Exinde omnibus qui bene sentiunt, inconsultae et temerariae petitioni concordi sono refragandum est; omnes quibus curae est rerum proditarum patrocinium, ad exeundum in aciem invitantur priscaeque distributionis causam dicendam, ut etiam nunc conservetur. Quod si paucorum suffragium, in ipso latinitatis domicilio, quo olim consules triumphantes populari approbatione devictarumque gentium comitatu ingrediebantur, spem cuiusdam imberbis iuvenis aliquantulum potuerit permulcere, tamquam si prope affuturum sit quum Vergilii Ciceronisque sermo de sinat tandem suae mentis esse offendiculum, opponi oportet Italiam nostram, quae prae aliis rebus vetustatis religionem colit, nunquam passuram esse linguam a primoribus proditam neglegi, nunquam, nisi ingrati animi crimine, situram cives oblivious quantum suae institutionis, cultus et humanitatis suique progressus Romae, vetustarum urbium fortissimae et maximae, debeant.

Ut apud nos, principis poetarum italicorum cultus auctus vehementerque fotus resplicas sui iuris ac mancipii semper designavit, liberamque civium vo-

luntatem secundis rebus expressit; sic omni tempore latinitatis studium, toto mentis ardore susceptum atque promotum, italicum nomen enixe custodiet ac temere petitum tuebitur.



Ex iis quae hue usque dixi, luce clarius patet quorum haec spectet oratiuncula: « dii averrunt ne latinus sermo pueris erudiendis, animi scilicet ingeniique alimentum, desinatur suppeditari! Fieri potest ut de ratione docendi dissentiantur; sed una est res ac natura, quam nec hominum arbitrio licet mutare, nec legum auctoritatib[us] funditus evertare.

Postremo meminerint qui communis sententiae adversantur, quid de hac re iudices iustissimi verissimique censuerint, praesertim gravia illa verba Francisci De Ovidio considerent, quo me usum magistro in Neapolitana litterarum sede magnopere glorior, sermonem latinum « proprium esse cibum quo sibi, naturali sensu, opus esset, utpote quum ex eo rapidum in litteris progressum derivasset inauditumque et novum animi vigorem...».

M. GALDI.

**Num Christiana religio, nisi divina esset,
usque ad Constantium Magnum tantopere percrebrisset**

Ut rectam sequamur de re proposita sententiam, nobis perpendendum est, quales homines Christianam religionem propugnaverint, quibus adiumentis usi sint, quas denique difficultates evicerint. Atque primum, quis negavit unquam celerrimum religionis per omnem orbem terrarum cursum? Verum esse omnes vident illud Tertulliani: « Hesterni sumus et vestra omnia implevimus: urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus tempa ». (Apol. 37).

Et quinam homines doctrinam disseminabant Christi? Piscatores erant, qui quotidiano negotio victimam sibi suisque parabant, quibus nulla elegantia morum, nullae verborum argutiae, nulla in disputando subtilitas; sed erant indocti, recti, patientes laborum. Huiusmodi quidem viros Christus misit, qui omnes gentes vera docerent, et ad caelum iter patefacerent. Numquid risum teneremus, si quis rudes nunc mitteret homines caementarios vel tignarios, ut religionem aliquam in omnes mundi angulos deferrent? Tamen Christus non solum rudes mittit, qui idem perficiant, mittit Iudeos, qui apud omnes nationes in contemptu erant, mittit Galilaeos, qui ab ipsis Iudeis spernebantur. Itaque nonne mirabile est, quod scripsit trecentis annis post Chrysostomus in eo libro, quo Christum Deum esse demonstravit

(cap. 9): « In regia urbe Roma missis aliis omnibus ad sepulchra piscatoris et tentoriorum opificis accurrunt imperatores, consules, exercituum duces. Constantiopolis vero non prope Apostolos, sed foris ad ipsa limina optaverunt ii, qui diademate rediminunt corpora sua sepeliri, atque ita imperatores piscatorum ostiarii facti sunt? Pauci piscatores ergo isti, si suis tantum viribus nisi essent divinaque vi destinati fuissent, num omnibus hominibus suam persuasionem probabile redditissent aut doctorum, divitum, nobilium magistri exstisset?

Venio ad adiumenta, quibus religio Christiana tam cito dispergi potuerit. Ubi est vis armorum? auri pondus? voluptatum affluentia? litterarum ornatius? Haec si fuissent in religione Christiana, non valde miraremur crebros fuisse illorum virorum discipulos. Ferro enim Romano concessit terra; quantaque longe plurimis illecebra est aurum et libidinum libertas! Quam facile abducti essent philosophi doctorum sententiis! Sed quod abiectorum piscatorum in cultissimum sermo Hebraico genere permixta tanta velocitate in omnes regiones dimanaverit, satis mirari non possumus.

Quid? quanta fuit huic sermoni pugna! Pugnam intulit ipsa religio. Quid enim isti piscatores Iudei dixerunt? Deum unum esse, eumque oculis cerni nullo modo posse. Sed hoc, ut fuerit contra omnium exspectationem, sapientioribus fortasse probabile fieri potuit. Illud vero, Christum Nazarenum, quem Pilatus in crucem affixit, divinae naturae participem esse, stultissimorum hominum deliramentum videbatur. Et eiusmodi homo impudenter praescribebat per tam obscuros nuntios, ut omnes contempta superbia humilitatem et mansuetudinem disserent, ut repressa natura inimicos amarent, ut duriorum vitam molitiae libere praeponerent, ut quasi spiritu indigni atque ab omnibus civibus despici in remotis « catacambarum » speluncis vitam degerent. Pugnam intulerunt acerbissimam instituta rei publicae. Nullis adesse potuerunt Christi discipuli pompis, quin alienos deos agnoscerent; itaque factum est, ut tamquam deorum hostes ab omnibus monstrae haberentur periculosisima generi humano. Nulla irruit in terram calamitas, quin milia poposcerint Christianos ad leones. Et quod sua mysteria Christiani nullo pacto proderunt, horribilibus commentis et calumnis omnium animi adversus eos stimulabantur. Nihil ergo fuit in religione nostra, quod homines allixerit, nihil, quod naturae blandiatur; sed plena erant omnia difficultatum, ut, nisi divina potentia nascentem religionis arborem irrigasset, rerum adversarum facibus combusta esset.

Satis ergo iam dixisse Dei tantum potentia adeo percrebruisse doctrinam nostram tribus saeculis a

Christo proemiis, nisi quorundam virorum, quibus omnia, quae ad nos spectare possunt, suspecta sunt, opiniones tollendae essent.

Dicunt: «Cur nobis tanto opere iactatis religionis vestrae repentinam propagationem, quasi id singulare esset? Non meministis uni imperio orbem tunc paruisse universum? unum sermonem fuisse populis communem? omnium de dis sentientiarum libertatem fuisse? Beneficentiam et promptissimos ad tolerandum animos nunquam audistis? Quid? quod tam cito corripuerit maximas terras religio Mahometi, Arii, Buddhæ, Lutheri, pro nihilo habetis?

Respondebimus talibus vocibus quam brevissime. Non nos praeterit, quam fuerit ad divulgandam religionem utile, quod uno mundus imperio continebatur et una lingua; sed ridiculum esse contendimus hac re sublatas esse difficultates, quas adferebat ipsa religio, vel regum persecutio. Et quod de opinionum libertate dixistis, opiniones praeter Christi doctrinam omnes admissae sunt, quem ad modum hac quoque aetate non ita raro fieri videmus. Beneficentiam et molestiarum tolerantiam nos putaveramus a Christo praceptum nec sine divino auxilio a Christianis exercitatum esse, manebimusque in sententia, dum aliter fuisse nobis demonstrabitis.

Restat igitur aliarum religionum in propagatione similitudo, quam quidem non infinitiam, quae, si ipsarum quoque religionum similitudo accessisset et adiumentorum, divina prorsus a nobis diceretur. Membratim naturalium virium efficientiam percurramus. Mahometi religio celerrime propagata est; armorum ferocia Arabibus et Afris imposita est. Arianam autem sectam scimus a regibus protectam, atque propugnatam esse magisque ad rationis nostrae positum lumen, quam quod catholici crediderunt. Buddhæ religio ex tempore nata et ab Asiae tantum gentibus acceptata est, quae non dimanasset in tot regiones, nisi ab Azoco rege esset defensa et a potentibus humiliores liberasset. Fuit isti doctrinae aliquis Constantinus, nemo autem Diocletianus exstitit. «Protestantium» denique errores quis est quin longe ante praeparatos esse sciat? Num omnia mala enumerare me iubes, quorum acervum incendit Lutherus? Divitiae, ambitiones, morum corruptio, regni Romani debilitas necessario emendationem requirebant; emendatorem autem iniuste putabat sese Lutherus. Non esset ipsius et amicorum eius doctrina in Germaniam diffusa, nisi et sensibus fuisset dulcior, et patronos accipisset principes divitiarum cupidissimos.

Itaque desinite iam tenuare miram atque divinam religionis Christianæ propagationem; considerate potius annon tantum opus vos cogat et invenire veritatem et amplecti.

PHILANDRIUS.

VOX URBIS PALAESTRA


Roma Aeneidis scopus

(Cfr. num. sup.)

Initio diximus Romam in Aeneide splendere integrum. Et vere; nam illa omnia quae ad Romae integritatem efficiendam coalescere deberent, per Aeneida sparsa reperiuntur. Ibi enim Romae origo, quam investigare et cognoscere imprimis studebant antiqui, aperte narratur; ibi illustrissima quaeque Romanorum facinora per longam saeculorum seriem patrata, praesertim Carthago et Graecia sub Romanorum directionem redactae elegantissime describuntur; ita ut Aeneis rerum a Romanis gestarum pulcherrima et vivida pictura esse videatur; ibi denique splendidissima imperii Romani sub Augusto gloria non semel nec uno in loco depingitur. Nec vero haec solum in Aeneide continentur, sed etiam Romani mores et instituta. Etenim nonne in libro V, exempli causa, certamina in honorem Anchisae ab Aenea proposita legentes, Romanorum potius quam Troianorum ludos adspicere videmur? Quod quidem Vergilius ipse significat, quum ludorum narrationi eiusmodi clausulam adhibet:

*Hunc morem cursus atque haec certamina primus
Ascanius, Longam muris quum cingeret Albam,
Rettulit, et priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes.
Albani docuere suos; hinc maxima porro
Accepit Roma et patrium servavit honorem;
Troiaque nunc, pueri Troianum dicitur agmen.*

Eodem prorsus modo sacrificia, auguria, religio, mythologia et alia id genus in Aeneide licet invenire. Multarum etiam urbium et familiarum origo atque splendor ibi adnotatur; ac ne multis, adeo Vergilius Roman in Aeneide expressit atque depinxit, Romanamque historiam quum aliis in locis, tum maxime in Aeneae clypei descriptione contextit, ut epos hocce nobilissimum dicatur praestantissimum romanarum antiquitatum monumentum, Vergiliique peritia historiae tanta esse, quanta ne ab historico quidem exigi aut exspectari posset. Unde intelligi facile potest quam grata atque iucunda Aeneidis lectio Romanis accideret.



Quid quod non integra modo, sed magna in Aeneide Roma ostenditur?

*Tu regere imperio populos, Romane, memento;
Hae tibi erunt artes; pacisque imponere morem,
Parcere subiectis et debellare superbos.*

Haec Anchises in libro VI; illa in primo Jupiter:

*His (Romanis) ego nec metas rerum, nec tempora pono;
Imperium sine fine dedi. Quin aspera Juno,
Quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat,
Consilia in melius referet, mecumque forebit
Romanos, rerum dominos, gentemque togatam.*

Et similia passim.

Ista vero Romae nobilitas et magnitudo primum appetit ex origine, quum a duabus praestantissimis gentibus, Trojanis et Latinis, ortum duceret; etiam a virtutibus et praestantia illorum, qui populi Romani parentes et conditores extiterunt, Aeneae potissimum, Ascanii et Romuli. Nam Aeneas «Romanae stirpis origo», plus et magnanimus Aeneas, Veneris et Anchisae filius, diis immortalibus adnumerandus erat. Ascanius autem pulcherimus et Patris observantissimus, «magnae spes altera Romae» diis et hominibus carus et benevolentia dignus depingitur. Romulus denique, qui

*Mavortia condet
Moenia Romanosque suo de nomine dicet,*

deorum immortalium numero adscendens erat. Tum magna Roma splendet ex rebus gestis, praesertim ex superata Carthagine; ex magnificentissima etiam sub Caesare et Augusto gloria:

*Nascetur pulchra Trojanus origine Caesar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Iulius a magno demissum nomen Iulo...
Aspera tum positis mitescat saecula bellis.*

De Augusto vero haec in libro VI Anchises canit:

*Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,
Augustus Caesar, Divi genus, aurea condet
Saepta qui rurus Latio regnata per arva
Saturno quandam, super et Garamantas et Indos
Proferet imperium.*

Denique magna effulget Roma in Aeneide ex divino nomine, cuius providentia Roma destinata est, ut, subactis hostibus, toto terrarum orbe potiretur, et «positis bellis toto gens surgeret aurea mundo, novoque nascente saeculorum ordine, nova progenies caelo descenderet alto, Iesus Christus nascetur. Vergilius enim, quasi praesagiret, deos inducit hominum mala miserantes. Sic ex. gr. ait in libro X dum bellum Rutulos inter et Traianos narrat:

*Di Iovis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, et tantos mortalibus esse labores.*

Ex omnibus his capitibus splendidissima eluet in Aeneide populi Romani gloria, quae quidem quo longius et mirabilius nuntiatur - a Iove, Anchisa, in clypeo - maior appareat, maioremque pariebat Romanis Aeneida legentibus delectationem.

Est igitur Roma Aeneidis scopus et quasi animus. Quumque haec gloria maxima sub Augusto fu-

tura esset, nihil mirum si Augustum etiam (optime de se meritum) pacis auctorem canit Vergilius.

Quam magna quamque nobilis christiana Roma existimanda est, cui, veluti magnificentissimo templo fundatum Deus O. M. struxerit illam a Vergilio in Aeneide Romanam celebratam!

Dertusae in Hispania.

ROBERTUS CAYUELA S. L.

HORAE SUBSECIVAE

IN HYPOCRITAS DECLAMATIO⁽¹⁾

*Dulcis, urbanus, lepidusque visu,
Melleus labris, hilarisque gestu,
Iustus incedit, sclerata quamvis
Pectore verset.*

*Huncce multiplex cruciat cupido,
Quem dolo instructum malesanus error
Possidet totum, studiumque nunquam
Tangit honesti.*

*Foedus! impuram putridamque mentem
Condit insonti similis, serenam
Explicat frontem simulatque vultu
Integritatem.*

*Et verecundos oculos superbe
Fingit, ambit qui imperiosus audax
Nomen ingens, quod meritum decusque
Prodat honestum.*

*Namque virtutis, probitate missa,
Induit larvam facies, colore
Tecta mendaci, genuina ne sit
Mentis imago.*

Gregorius Cleary.

(1) Specimen facultatis poeticae ex tempore exhibatum ad Diploma honoris in Litt. Lat. consequendum Romae apud Institutum Leonianum Altioria Litterature.

IOC I

Summa et asperima hyeme quidam villosa et crasso filo contexta veste indutus et adversum frigora probe mutatus, tenuiter ac trita tunica vestito, laeto tamen nec de frigore quidquam conquerenti occurrit. Quaerit quum tam male sit coopertus, quomodo non frigeat, quum ipse a veste longe instructior, adhuc tamen algat. Respondet ille: - «Quia omnes vestes meas mecum habeo, tu plures desideras».

Romanae basilicae S. Laurentii *extra muros* prospectus exterior.

**DE ROMANA BASILICA
S. LAURENTII *EXTRA MUROS***

Non semel de hac celeberrima Urbana basilica in nostro Commentario diximus, quum praesertim defunctorum commemorationem ageremus; apud eam enim in «fundo Verano» Romanorum corpora qui abhinc annos circiter quinquaginta ad nostros usque dies obierunt in pace requiescent. Nunquam vero de hoc pretioso aedificio peculiariter scripsimus; quod hodie praestare aggredimur.

Duae fuerunt olim — scribit Kehrius (1) — basilicae b. Laurentii in agro Verano, quas deinde Ho-

(1) *Regesta Pontificum Romanorum* inbente regia societate Göttingenii concessit PAULUS FRIDOLINUS KEHR. — Italia Pontificia, vol. I, Roma (Berolini apud Weidmannos, MCCCCVI), pag. 160: Ecclesia S. Laurentii in via Tiburtina.

noriis III univit. Earum alteram, quae postea nominabatur «speciosa» Constantinus M. imp. exstruxisse traditur «super arenario cryptae», ubi ficerat Xystus III confessionem b. Laurentii: ditarunt Hilarius, Iohannes I, Hadrianus I, Leo III, Gregorius IV, Leo IV, Benedictus III, Nicolaus I. Renovatur a Pelagio II, Gregorio II et ab Hadriano I. Altera basilica, quae appellabatur «basilica maior», et postea «ecclesia s. Mariae apud s. Laurentium» a Xysto III condita est, ac restaurata ab Hadriano I et Leone III, qui porticum renovavit: auxerunt Hilarius, Hadrianus I, Leo III.

Vetustissimis temporibus basilicam hanc patriarchalem clerici tenuerunt; postea monachi cum suo abbatore; quorum disciplina exolescente, auctore Alberico, Romanorum principe, Agapitus II novae tunc congregationi Cluniacensi concessit, quae diutissime

ibi permanxit. Congregatione autem deficiente, canonici regulares s. Salvatoris de Bononia, vulgo Sco-petini vocati, iussu Iulii II a. 1511 nov. 7, eam obtinuerunt.

Haec de antiquioribus basilicae fatis, quae nos ad nostra tempora strictim persequemur. Etenim et post Honorium III, qui funditus restituit, basilicam Laurentianam sive Pontifices sive monachi refecere. Sic, anno 1657 canonici regulares, quos supra commemoravimus atque etiamtum basilicam possidebant, presbyterii lacunar conflarunt. Sed Pio PP. IX, qui ita hoc templum diligebat ut sese post mortem in eo recondi iusserit, aedium status, qui nunc, maxime debetur. Is enim an. 1864 Virginio Vespignani architecto atque Ioanni Baptista De Rossi, celebri illi christiana antiquitatis instauratori, commisit ut basilicae pristinas notas suas restituerent, a recentiori-

bus additamentis, praesertim saec. XVI et XVII, sive immutatas sive occultatas. Novos ornatus ac picturas iuxta magnos parietes super epistylis adduxit, quae Caesari Fracassino, pictori Romanae scholae pulcherrimae spei, commissae sunt. Invene hoc vero cum omnium fletu, vix viginti novem annos nato, vita functo quatuor tantum earundem picturarum absolutis, reliquae illustribus alii pictoribus conceditae fuerunt, Caesari Mariani, Francisco Grandi, Aloisio Cochetti. Tunc temporis maius quoque altare ad pristinam basilicarum christianarum formam redactum est, tholiolo addito, effectumque ut s. Laurentii templum «extra muros» inter praecipua almae Urbis monumenta recenseri posset, quippe quod notas veteris basilicae ex romano-christiano stylo optimas, itemque recentioris Romanae pictoriae scholae amplissima celebratissima specimina invisentibus offerat.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Sus Minervam.

Dici apud Latinos hoc adagium solebat quum indoctus quispiam aut insulsus eum docere conaretur a quo esset ipse magis docendus, aut, ut Festi Pompeii verbis utamur, quum quis id doceret alterum, cuius ipse esset inscius. Propterea quod Minervae artium et ingeniorum tutela tribuebatur a poetis; porro sue nullum aliud animal magis brutum magisque sordidum; tum adeo prounum ciboque deditum, ut, si forte sursum aspicere cogatur, protinus stupore sileat ob insolentiam, ut tradit Alexander Aphrodiseus. Nec est aliud magis indocile, proinde non ad usum aliquem, quemadmodum pecudes nonnullae, sed ad epulas dumtaxat a natura donatum videtur. Cuius rei testis est Plinius (lib. VIII, cap. 51): «Animalium — inquit — hoc maxime brutum, animamque ei pro sale datam, non illepide existimabatur». Idem affirmit Varro (lib. *De re rustica*, II): «Suillum — inquit — pecus donatum a natura dicunt ad epulandum. Itaque his animam datam pro sale, quae servaret carnem». Atque haec quidem verba quid sibi velint explicat M. Tullius (lib. *De finibus*, V): «Etenim omnium rerum, quas et creat natura et tuetur, quae aut sine animo sunt, aut non multo secus, eorum summum bonum in corpore est, ut non inscite illud dictum videatur in suem, animum illi pecudi datum pro sale, ne putresceret. Sunt autem bestiae, in quibus inest aliquid simile virtutis, ut in leonibus, ut in camibus, ut in equis, in quibus etiam animorum aliqua ex parte motus aliquos videmus. Vulgo insipidos istos, et quasi ventri atque abdomini natos sues appellare consuevimus». Quin et Suetonius in

catalogo illustrum grammatistarum refert, Palaemonem arrogantia tanta fuisse, ut M. Varronem porcum appellaret, secum et natas et morituras litteras. Praeterea si quid indoctum atque illiteratum significare volumus, id ex hara profectum dicimus. Quemadmodum Marcus Tullius in Pisonem: «Ex hara productae, non schola». Hinc igitur natum adagium «sus Minervam». L. Caesar apud Ciceronem (*Orat.*, II): «Si ego, — inquit — Crasso audiente, primum loquar de facetiis et docebo sus, ut aiunt, oratorem eum, quem quum Catulus nuper audisset, foenum alias aiebat esse oportere». Idem Cicero (*De academicis quaest.*, I): «Nam, et si non sus Minervam, ut aiunt, tamen inepte quisquis Minervam docet». Hieronymus in Rufinum: «Praetermitto Graecos, quorum tu iactas scientiam, et dum peregrina sectaris, paene hic sermonis oblitus es, ne vetere proverbio Sus Minervam docere videatur». Usurpat idem, verbis commutatis, in epistola ad Marcellum cuius initium: Mensuram caritas non habet, etc. — M. Varro et Euhemerus adagium ad fabulas retulerunt, id quod ex Festi verbis licet coniicere. «Quam rem — inquit — in medio, quod aiunt, positam, ineptis μύθοις involvere maluerunt, quam simpliciter referre».

Suo iumento sibi malum accersere.

Qui ipse sibi malorum est auctor, suo iumento sibi malum accersere dicitur, tamquam suo sumptu suaque opera, quasi suopte plaustro, malorum sarcinam adportet sibi. Plautus in *Amphitryone*: «Ipse homo sibi a me malam rem accersit iumento suo». — Sumpta metaphora a plaustris onerariis. Nam id quoque significat iumentum, auctore Gellio (lib. XX, 1), aut certe ab animalibus tergo vectantibus onera.

Irritare crabrones.

Id a Plauto (*Amphitryo*) dictum est in mulierum ingenium; quibus iratis si repugnes, magis provokes, neque sine tuo malo discedas. Est autem crabro insecti genus, affine vespis, pertinacissimum aculeoque pestilentissimo. Siquidem refert Plinius (*Hist. nat.*, XI, 21) crabronum ictus haud temere sine febri esse, additque traditum a quibusdam ter novenis huius animantis punctis interfici hominem. Aristoteles (*De partibus animal.*, IX) praeter alia, quae de crabronibus commemorat, illud quoque tradit, quum in apum genere quaedam aculeis careant, ut fuci et reges, vespa quoque nonnullae sine aculeis inveniantur, nullus crabrones reperi non armatos aculeo. Quamquam de duce num aculeatus sit, nonnihil addubit. — Utitur hoc etiam adagio S. Hieronymus in epistolis. — Adlusat hue quoque, qui Archilochi, poetae maledici, epitaphium scripsit:

*Ne fors crabrones, qui huic insedere sepulcro,
Irrites: tacitum carpe viator iter.*

Xenophon (lib. IV) indicat unde paroemia nata sit, nimurum ab iis qui student eximere vespas ab antris suis: «Video — inquit — etiam eos quicumque crabrones excipere volunt, siquidem evolantes coonentur venari, a multis feriri crabronibus».

Leonem stimulas.

Consimilem vim habet quod a Diogeniano refertur: «Leonem pungis, seu vellicas». De iis dicitur, qui potentem ac ferocem in suum ipsius exitium provocant, atque extimulant. Notior est metaphora quam ut sit fusius explicanda.

DIARIUM VATICANUM

(Die xxi mens. Septembr. — d. xx mens. Octobr. M DCCC VIII)


Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: excellentissimus v. Achilles Locatelli, archiepiscopus tit. Thessalonicensis, Argentinae civitatis Apostolicus internuntius; Fratrum Scholarum Christianarum consilium generale; Everardus Ilgens, dioecesis Monasteriensis vicarius; Emmanuel Sanchez, Praepositus Generalis Congregationis Scholarum Piarum cum consiliariis suis; Pacificus a Seggiano, Administrator Generalis Ord. Min. S. Franc. Capulatorum; Gabriel Grison, episcop. tit. Sagalassen. electus; Leopoldus Meyer de Schanensee, Pontificiae Helveticae cohortis praefectus; Ioannes Lerolle, Societas catholicorum iuvenum in Gallia praeses; Augustinus Vontenwill, iam Vancouverensis archiepiscopus, nunc Superior Generalis Congregationis Oblatorum Mariae Immaculatae cum consiliariis suis; Mexicani iuvenes triginta Romae in Pont. Collegio Pio Latino Americano studiis vacantes ab excellentissimo v. Francisco Orozco Iimenez, episcopo de Chiapas, coram adducti; Paulus Santucci, Comes.

Praeterea ad Pontificem peregre adveneunt omnia et stipem ob Eius sacerdotale iubilaeum offertentes:

Mense Septembri exeunte, catholicorum Albanensem legatio ab excellentissimo v. Nicolas Marconi, episcopo Putaten., coram adducta; Catholicorum iuvenum Ibernorum atque Dublinensis municipii legatio; Sodalitatum e Catholicis Gallica iuventute praesides; catholici iuvenes undique Roman congregati ad gymnica certamina habenda; Brasiliensium manus a Purpurato Patre Joachim Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, archiepiscopo S. Sebastiani fluminis Ianuarii, coram adducta.

Mense Octobri, Societatis Catholicarum opificum in Germania legatio; legatio iuvenum catholicorum in Germanicis athenaeis studiis vacantium; cives ex dioecesis Hispalensi, Legionensi, Malacitana, Cordubensi; cives ex abbatia Sublacensi. Summo Pontifici recte subiecta cum Pontificio legato; Armenorum catholicorum manus ab excellentissimo v. Petro Kojounian, episcopo Alexandrinio Armenorum, coram adducta; Hungarici cives ex dioecesis Albae Regalen. et Csanadien. ab episcopis suis et a Stephano Rakowizky, publici Hungarici coetus legibus ferendis altero a praeside adducti; Italici cives ex dioecesis Pisana, Liburnensi, Pi-



Romanae basilicae S. Laurentii extra muros prospectus interior.

sciensi, S. Miniati, Grossetana, Massana, Mandelensi, Mediolanensi, Parmensi; cives ex Moraviae dioecesis Olomoucensi et Brunensi.

Pontificiae electiones.

Die xx mens. Octobris a Pontifice iuxta Constitutionem *Sapientia Consilio* (1) ad Sacras Congregationes aliaque Ecclesiasticae Officia deputantur:

Ad Congregationem S. Officii r. v. Aloisius Giambene.

Ad Congregationem Consistorialem Purpurati Patres

Caietanus De Lai *a secretis*; Aloisius Oreglia a S. Stephano, Seraphinus Vannutelli, Franciscus de Paula Cassetta, Partritus Franciscus Moran, Marianus Rampolla del Tindaro, Angelus Di Pietro, Hieronymus Maria Gotti, Sebastianus Martinelli, Ioannes Puzyna de Kozielsko, Beniaminus Cavicchioni, Ioannes Katschthaler, Raphael Merry del Val, Iosephus Samassa, Joachim Arcovide de Albuquerque Calvalcanti, *iudices*; rr. vv. Scipio Tecchi, Carolus Perosi, Franciscus Cherubini, Iosephus Bruno, Dominicus Spolverini, Caesar De Sanctis, Petrus Ercole, Caietanus Roma, Achilles Corneo, Ioannes Baptista Menghini; cl. vv. Ignatius Massaruti, Nicolaus Sterbini, *administri*.

Ad Congregationem de disciplina Sacramentorum Purpurati Patres Dominicus Ferrata *praefectus*; Franciscus Satolli, Franciscus de Paula Cassetta, Marianus Rampolla del Tindaro, Sebastianus Martinelli, Beniaminus Cavicchioni, Petrus Gaspari, Franciscus Segna, Iosephus Calasanctius Vives y Tuto, *iudices*; rr. vv. Philippus Giustini, Iosephus Mori, Octavius Marenghi, Franciscus Verga, Archangelus Bruni, Dominicus Iorio, Franciscus Guglielmi, Iosephus Fratellari, Arthurus Mazzoni, Franciscus Pascucci, Pius Papi, Petrus Biagioli, Vincentius Sibarella, Philippus Tesa, Petrus Scalpellini, Americus Guidi, Antonius Nicolò, Orestes Fraschetti; cl. vv. Carolus Alessandri, Guido Patriarca, Nicolaus Massaruti, Franciscus Laurini, Camillus Viviani, Nicolaus Nicolai, *administri*.

Ad Congregationem Concilii Purpurati Patres Casimirus Gennari, *praefectus*; rr. vv. Iulius Grazioli, Aloisius Ernini, Vincentius Bianchi Cagliesi, Iosephus Tondini, Ioannes Fero; cl. v. Iacobus Ciocci, *administri*.

Ad Congregationem negotiorum Religiosorum Sodalium praepositam Purpurati Patres Iosephus Calasanctius Vives y Tuto *praefectus*; Antonius Agliardi, Franciscus de Paula Cassetta, Hieronymus Maria Gotti, Seraphinus Cretoni, Franciscus Desideratus Matthieu, Sebastianus Martinelli, Casimirus Genari, Caietanus De Lai, *iudices*; rr. vv. Laurentius Ianssens O. S. B., Adulitus Giobbi, Vincentius La Puma, Rodulfus Caroli, Aloisius Carabini, Franciscus Cesarin, Philippus Rocchi, Ubaldus Mannucci, Iosephus Temofonte, Iosephus Mancini, Antonius Simoni, Henricus Caiazzo; cl. v. Iosephus Benaglia *administri*.

Ad Congregationem de Propaganda Fide rr. vv. Camillus Laurenti, Evaristus Lucidi, *administri*.

Ad Congregationem Indicis r. v. Henricus Pucci *administrator*.

Ad Sacrae Poenitentiariae Tribunal r. v. Aloisius Cavazzi *administri*.

Ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal Purpurati Patres Vincentius Vannutelli *praefectus*; Antonius Agliardi, Franciscus Satolli, Franciscus Desideratus Matthieu, Petrus Gaspari, Franciscus Segna, *iudices*; rr. vv. Nicolaus Marini, Aloisius Scialdoni; dr. Iosephus Fornari, *administri*.

Ad Sacrae Romanae Rotae Tribunal rr. vv. Michael Legodecanus, Gustavus Persiani, Constantinus Contini Riccardi,

(1) Cf. Vox Urbis an. XI, n. VIII.

Gulielmus Sebastianelli, Carolus Lombardi, Seraphinus Many, Franciscus Heiner, Ioannes Prior, Achilles Martini, Aloisius Sincero, *iudices*; rr. vv. Maximus Massimi, Franciscus Parillo, Tancredius Tani; cl. vv. Franciscus Bersani, Felix Onesti, Guido Fausti, Ioannes Ladelci, Nicolaus Angelini, *administri*.

Ad Cancellarium Apostolicum rr. vv. Iulius Campori, Raphael Virili, Rinaldus Deggiovanni, Augustinus Bartolini, Ludovicus Schüller, protonotarii Apostolici additi ad Bullas subsignandas.

Ad Datarium Apostolicum r. v. Alafridus Vitali; cl. vv. Livius Carimini, Michael Pecci, Iosephus Girelli, Paulus Severati, Carolus Lombardi, Alafridus Marini, *administri*.

Ad Vaticana archiva Purpuratus Pater Franciscus Salesius Della Volpe, *praefectus*.

Ad Secretarium Status r. v. Fridericus Tedeschini, *Brevium Apostolicorum Cancellarius*.

Ad Commentarium Apostolicae Sedis authenticum edendum rr. vv. Iosephus Bruno *moderator*, Petrus Benedetti e Congregatione Miss. S. C. I. *alter a moderatore*.

Vita functi viri clariores.

Die xxvi mens. Septembr. Neapol. **Carolus Caputo** archiepiscopus Nicomedien., quondam Apostolicus Nuntius in Bavaria.

ANNALES

Balkanica res.

De Balkanica re, quae omnium animos his diebus ad se convertit, superius diximus; heic igitur praecedentia tantum atque subsequentia attingemus.

Bulgarorum invidiam ob suum legatum ab epulis apud Turicum exterarum rerum administrum exclusum meminerint lectores; in superioris enim commentarii numero mentionem fecimus; post paucos dies, quasi ad clarigationem, Bulgarorum gubernium vi ferreis axibus stratas vias occupat, quae ad Rumeliam orientalem sunt et a Turcis ex suo proprietatis iure privatae cuidam societati locatae fuerant. Huic arrogantiae Turcae obsistunt et nationum quae Berolinensi foederi subscriperunt provocant iudicium, quod quidem non obscure favorable invocantibus futurum appetet. Tum Bulgaria sui iuris sese edicit, eaque suscit, quae repetere vanum est. Id unum addere iuvat, actionem ad novum Europaearum nationum conventum de re congregandum ob adventum tum Lutetiam Parisiorum tum Londinum Russorum administris Isvolski videri prospere cessuram, consentientibus iam Italorum, Turcarum Germanorumque guberniis, nutante contra Anglia, cuius propositum convenitus fines augendi atque de fretis, de compensationibus Serborum et Montis Nigri populis repondendis, de Danuvii fluminis navigatione, de Armenorum iuribus disceptandi. De Bosniaca et Chulmensi provincia ab Austrorum Hungarorumque imperio sibi addictis non

multa verba fiunt, plerisque indicantibus Novi-Bazar provinciae cessione Turcis ab Austris iam esse reparatum.

Nec denique praetermittendum, arrepta horum eventuum occasione Cretenses unionem suam Graecorum gubernio pronuntiasse et Albaniam provinciam quoque libertatis sua appetitum minime abscondere...



Ex Mauritania.

Ex Mauritania nihil novi magni momenti allatum. Gallorum Hispanorumque quae sita a ceteris guberniis comprobata sunt, si minima quaedam experitas a Germanis Austriacisque obiecta, quae facile dirimi poterunt.



Novae in infima Africa civitates foederatae.

Durban, in inferioris Africæ Anglicam urbem, Anglicarum coloniarum legati conveniunt ut civitatum ex colonia Capitis, Natal, Transvaal, Orange, Rhodesia societatis fundamenta iacerentur. Quod quidem non sine animi laetitia humani omnes animi cognoverunt.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In **Anglia** Tweedmouth, privati consilii praeses, munus abdicavit ut ad privatam vitam se reduceret. Autumnalis sessio in publicorum legatorum coetu inchoata Asquith primi ministri de Balkanica re oratione, et lege ad minuendam « alcoholicorum » potuum venditionem.

In **Dania** administratorum collegio a munere recententi novum suffectum, cui Neergard praeses.

In **Gallia** de redditum vectigali lex in examen iterum vocata.

In **Hungaria** apud delegationum coetum, post civilis status expositionem, rationes acceptorum et expensarum in disserimen adductae.

In **Suetia** nova comitia habita non satis gubernio favorabilia.

PER ORBEM

Die xxii mens. Septembri mccccviii Pau in oppido moritur Nicolaus Salmeron, acerrimus rei publicae liberæ in Hispania propugnator; et Lutetiae

Parisiorum Paulus de Sarasate, fidium psaltes apud omnes populos maxime celebratus.

Lutetiae Parisiorum pariter telephonorum aedes incendio evertuntur.

Rivi Ianuarii Brasiliana in urbe pulchrarum artium exhibito inauguratur.

— d. xxii Bahama insulae turbine pessundantur.

— d. xxiii in Vaticano cavaedio, cui a pulchro visu nomen, gymnicorum ludorum certamina inter catholicorum iuvenum sodalites ex nationibus omnibus congregatas incipiunt, quibus deinde (die xxvi) Pontifex ipse adest.

— d. xxv Augustae Taurinorum obit Gualtherus Berkanovich, musicarum rerum scriptor clarissimus.

— d. xxvi Sancti Genesii in oppido Alberico Gentili iurisconsulto positum monumentum. Berolini ex metropolitana aerea ferri via currus praecepit mortemque et vulnera civibus pluribus afferat.

— d. xxvii Pontedera, in oppido Tusciae, Andree sculptori et architecto saec. XIII, qui ex civitate sua cognomen assumpsit, monumentum dicatur.

— d. xxix Albertus Maignan pictor Lutetiae Parisiorum vita fungitur.

— d. xxx Tergeste in mare immittitur loricata navis, cui ab archiduce Francisco Ferdinando nomen impositum, bellicarum Austrorum navium hucusque maxima.

Die i mens. Octobris Hispaniae rex et regina Budapestinum tenent.

— d. iii Wilburius Wright aëroplani sui Lutetiae Parisiorum experimenta feliciter agit.

— d. v eiusmodi experimenta eodemque exitu in Sabatino lacu ad Romam Italici milites in machina a se exstructa perducunt.

Ferdinandus, Bulgariae princeps, civitatem suam ex omni dictione liberam edicit, regisque nomen assumit.

— d. vi Imperatoris decreto Bosniaca et Chulmensis provincia cum Austrorum Hungarorumque imperio adnectuntur.

— d. viii Cretensis populus a Turcarum imperio omnino solutum et cum Graecorum regno coniunctum se declarat.

— d. ix ad Placentiam automobilis currus, in quo Italorum rex sedebat, in foveam delabitur. Rex vero sospes feliciter evadit.

— d. xi Berolini aeronauticum certamen habetur, cuius Ioannes Dunville vitor renunciatur.

— d. xii regio decreto singularia inter milites certamina in Italia coorecentur.

Incendia latius in Americanis silvis Presq' Ille funduntur. Curruum series vapore actorum in auxiliu missa, praeda et ipsa flammarum fit, plurimaeque victimæ lugentur.

— d. xvii in Lauretana basilica Thentonum sacramentum a Ludovico Seitz, nuper vita functo, depictum a Coloniensi archiepiscopo, Purpurato Patre Antonio Huberto Fischer, sollemni ritu consecratur.

— d. xix Tokio ex urbe Nodzu, notissimi illius in recenti Iaponico bello « mareschalli », mors numeratur.

LIBRORUM RECENSIO

Africa. Poema epicum IANUARI ASPRENATIS Rocco, presbyteri Neapolitani. — Neapoli, MCMVIII, in-8°, pag. 176.

Quis credat poema epicum, latina conscriptum lingua, hac etiam nostra aetate in vulgus edi posse? Id tamen Ianuarius hic Asprenas Rocco et tentavit et feliciter perfecit libris quatuor, qui ad minimum quatuor millia numerant hexametrorum. Neque solum fortem in scriptore animum impavidum mirari licet, verum etiam eximiam latini sermonis scientiam ac veterum poetarum, imprimis vero Vergilii, perfectam cognitionem usumque assiduum. Quibus ex rebus factum est, ut poeta mira facilitate suos effundat versus, qui suapte veluti sponte ex eius calamo defluere videntur.

Argumentum poematis Africa tellus est, eiusque historia a primaevis saeculis ad nostram usque aetatem deducta, ubi tamen ea tantum tangere voluit, quae ad res sacras propius pertinent. Sic Abrahami, Iosephi et Moysi gesta in regno Pharaonum describit. Inde ad Christum puerum transit in Aegypto exsulantem, memorat Cyrenaeum Christi morituri crucem deferentem et ministrum reginae Candacis a Philippo diacono eductum. Mox vero innumeros decantat Aegypti martyres, anachoretas, coenobitas, praesules quoque sanctissimos et inlytos Ecclesiae doctores. Transit inde ad Africam Carthaginensem et Numidiam, ubi similiter Cyprianum, Augustinum, Fulgentium, aliasque egregios commemorat scriptores, et densas martyrum legiones, quae sive sub Caesarum paganorum, sive sub Vandalorum persecutioribus sanguinem suum pro Christo fuderunt.

Africa tum per assecas Mahometis occupata ac dire vastata, auctor sacras describit expeditiones a sancto rege Ludovico susceptas, ut ibi Christianis, sub iugo barbarorum gentibus, opem afferret et levamen. Ac postremo nuperima canit bella, quae Itali adversus Menelichium Aethiopias regem gesserunt, celebratque fortissimorum quorumdam virorum gesta praeclara et Erythraeae coloniae laboriosam constitutionem.

Haec omnia expedito, ut dixi, atque eruditio describuntur calamo, unde facile coniicitur auctorem, ut latine sentiret ac saperet, longo studio ac diurna optimorum scriptorum lectione assuevisse. Aliquot tamen prosodiae menda repperi; nam in vocibus *philosophi* et *vomicae*, prima syllaba, atque in voce *Euphrosynae*, secunda syllaba male producuntur. Sane vox *philosophus*, quae tota syllabis brevibus constat, in hexametris adhiberi nequit; poterat tamen in eius locum vox *sophi* substitui. Ceterum leves huiusmodi umbrae, ut etiam descriptiones nonnullae, aequo forte longiores, ipsius operis praestantiam minime obscurant.

F. X. R.

VARIA

PIUS X ET MILES AUSTRIACUS.

Anno MDCCCLXV, quum ditio Veneta Austriae subesset, miles e pedum legione, cui nomen Joannes Baier, inter exercitia militaria, quae prope pagum Tombolo peragebantur, forte obvius fuit loci sacerdos, qui, misericordia motus, potu autem sacerdos ille Iosephus Sarto, tum pagi parochus. Anno nigraetz militans, graviter vulneratus est in suumque pa- gum natalem Litschen in Silesia austriaca rediit, ubi venia concessa tabacum vendendi.

Iam vero in calendario anni MCMV emeritus miles vitam Pii X legens, certior factus est eumdem olim parochum fuisse Tombolanum. Suspicatus in novo Pontifice benignum, a quo refectus fuerat, Samaritanum, eumdem per epistolam adiit, quaerens num suus ipse benefactor fuerit, memorique esset adhibita in se caritatis. Post longum temporis intervalum, mense Martio huius anni, accepit veteranus responsum. In eo Eminentissimus Cardinalis a Secretis Status significabat, missam e Silesia epistolam diu per errorem iacuisse inobservatam; ceterum, memorem esse facti pristinum Tombolanum parochum, qui nunc, in Sedem Petri evectus, permanenter scribenti benedicere voluerit, missa simul summa libellarum bis centum.

AENIGMATA

I.

Dic mihi quae fuerit quondam ditissima navis,
Unica, quae vexit totius orbis opes.

II.

Res volat in silvis nigro vestita colore;
Si caput abstuleris, res erit alba nimis.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus sortitus, gratis accipiet I.B. FRANCESIA comoediam latinis versibus scriptam, cui titulus:

SATURIO.

Aenigmata an. XI, n. VI proposita his respondent:

1) Flos; 2) Castanea.

Ea rite soluta miserunt:

F. Arnori, *Mediolano*. — I. Ortiz, *Morelia*. — Lod. Dubois, *Massilia*. — Ios. Rainelli, *Arona*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Petrus Tergestinus. — Rich. Müller, *Berolino*. — Ios. Martins, *Philadelphia*. — Mich. Hebers, *Neo-Eboraco*. — Ios. Buttgens, *Sutrio*. — Guil. Schmidt, *Londino*. — F. Guerra, *Aletio*.

Sortitus est praemium:

F. ARNORI,

ad quem missum est IOANNI BATTANI opus, cui titulus:

ANTHOLOGIA PARVA GRAECO-LATINA

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

TARCISIUS — Actio dramatica I. B. FRANCESIA. (10)

(Versibus senariis conscripta).

PUER II.

Paretur pugna, terrena collectatio,
Cuiusque virtus omnibus sit cognita.

TARCISIUS.

Amiculi, valete; non est tempus mihi.

PUER I.

Tenes cur in sinu districta brachia?

PUER II.

Habes thesaurum pretiosum absconditum?

PUER III.

Licet nos oculis haec circumspicere?

TARCISIUS.

Nequaquam! (Fer, Deus, praesens auxilium!)

PUER IV.

Nobis secretum palam fare; nam volumus.

TARCISIUS.

Nequaquam! (Vide poenam, tolle incomodum,
Deus; me territum tolle de angustiis!)

FULVIUS (1).

Novistin' hominem? Hic Christianus est!
Vultisne scire quid boni secum ferat?
Cives Romani, audite! Id aetatis puer,
Quem nescium prorsus dixeris criminis,
Hic, hic, non mentior, fert hic mysterium! (2)

CIVES.

Audis? Mysterium!

ALII CIVES.

O turpe monstrum hominis! (3)

SCENA XI.

ALII CIVES introgriduntur clamantes.

CIVES.

Quid est? Quid est? Quis tantam turbam facit?

FULVIUS.

Hic est christiana sectae discipulus!

CIVES.

Quis?

(1) Magna ostentatione loquitur.

(2) Suboritur contentio; varie varia in ore depicta sunt.

(3) Fit inter omnes strepitus.

ALII CIVES.

Ille?

FULVIUS.

Admodum! Dicitur Tarcisius!

CIVES.

Necetur furcifer!

ALII CIVES.

Necetur improbus! (1)

FULVIUS.

Mysterium gestat in sinu absconditum!

CIVIS I.

Emergit tandem nunc depressa veritas.

CIVIS II.

Quidquid latebat iam nuper in tenebris
Ad lucem veniat!

CIVES.

Cadat mysterium!

FULVIUS.

Geris, Tarcisi, quid in ulnis exhibe!

TARCISIUS.

Nequaquam! Frustra me tentatis! Emori
Paratum potius, quam sacrum tradere, (2)
(Iesu, da robur! Nam Tibi vim suffero!)

CIVIS I.

Sine videre gestas quid in pectore.

TARCISIUS.

(Eis, Iesu Deus, tuam da veniam!) —

SCENA XII.

QUADRATUS, deinde CROMATIUS (3), CETERI.

QUADRATUS.

Crudeles, puero fertis iniuriam?

Haec sacra Patribus nostris aetas fuit!

Quo nescio rapit nunc me dementia:

Quis ne vos occidat prohibet gladio?

Apage a nobis improbum Quiritium genus!

Omnes qui se pascunt ludis et sanguine.

(1) In Tarcisium passim verberibus et lapidibus impetum faciunt.

(2) Cadit ictibus oppressus.

(3) Introeunt festinantes animo anxi et oculis irrequies.

Huc illuc pree timore cursitant.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCVIII

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80

ubique extra Italiam Libell. 6,25

(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis," possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque

sive Vox Urbis kalendarium, sive tabulam
m. 0,25 × 0,45 Pontificiam dominationis
auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCCXLVI peractam, ad libitum
sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos

pretiumque eorum subnotationis
miserit, subnotatione sibi gra-
tuita omnino fruetur.

Qui socios novos comparaverit tres

— bibliopolis exceptis — ma-
gnificam tabulam dono accipiet
m. 0,63 × 0,85 in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, offi-
cina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem
retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito
apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit

ante Iulium mensem — bi-
bliopolis pariter exceptis —
dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque,
atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit

uti supra, eodem itinere
gratis omnino gaudebit.

Ann. XI. ROMAE, Kal. Decembris MDCCCCVIII Num. XII.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sch. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

Paris

Rue Danton.

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

London W.

28, Orchard Street.

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

“Kronika Rodzinna,”

Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Montreal

1899, Rue Notre-Dame.